



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sancti Bonaventurae Episcopi Cardinalis Albanensis,
Seraph. Doctoris Ecclesiae, Speculum Disciplinae, Et
Profectus Religiosorum: Libelli ad pietatem vtilissimi**

**Bernardus <de Bessa>
Bonaventura <Heiliger>**

Antverpiæ, 1591

De spe. Cap. XX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53148](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53148)

SPES data est homini qua confidat de bonitate Dei, ut speret à Deo gratiam consequi in presenti, & gloriam in futuro, peccatorum veniam si poeniteat: & temporalem sustentationem, sicut sibi expedit, & liberationem à malo, conseruationem in bono. Sed spes modo confusa est, ut aut minus sperent homines quam debent, aut plus quam iustum est. Tantum confidunt quidam de bonitate Dei, quod etiam saluet eos in peccatis contra iustitiam & veritatem suam, & immundos colloceat in caelum cum Angelis mundissimis. Et rursus tantum diffidunt Deo, quod si conuertantur non velit eis dare perseuerantiam in spiritu, vel sustentationem pro corpore: quasi Deus propitius sit inimicis suis, dum in peccato manent, & non propitius amicis suis iustis & poenitentibus & conuertentibus se ad ipsum, ut peccatores pascat liberaliter & saluet, conuersos deserat & fame perire sinat. Non affliget Dominus fame animam iusti. Vnde Propheta dicit, Iunior fui, etenim senex: & non vidi iustum derelictum, &c.

Pro. 10,1
Psal. 36,25

De timore.

CAP. XXI.

TIMOR etiam datus fuit homini, ut timeret Deum, & timeret ab eo separari, & eum offendere, & puniri ab ipso & damnari. Modò timet tantum temporalem aduersitatem & incommodum corporis, & detrimentum honoris. Futura & aeterna mala non timet, quasi tantummodo minae sint sine effectu, quod dicitur de futuro iudicio & aeternis suppliciis, vel quod facilius euadet ea quam dici-